



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De luxuria, qu[a]e opponitur castitati. Qu[a]estio 153.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Ad tertium dicendum, quod virgines sequuntur agnum quocumque ierit: quia imitantur Christum, non solum in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis, ut Augustinus dicit in libro de Virginitate. Et idem in pluribus sequuntur agnum, non tamen oportet quod magis de propinquo: quia alie virtutes faciunt propinquius inhaerere Deo per imitationem mentis. Canticum autem novum, quod solae virgines cantant, est gaudium quod habent de integritate carnis seruata.

QVÆSTIO CLIII.

De vitio luxuria, in quinque articulos diuisa.

Dinde considerandum est de vitio luxuria, quod opponitur castitati. Et primo de ipsa in generali. Secundo, de speciebus eius.

¶ Circa primum quaruntur quinque.

¶ Primo, quæ sit materia luxuria.

¶ Secundo, vtrum omnis concubitus sit illicitus?

¶ Tertio, vtrum luxuria sit peccatum mortale?

¶ Quarto, vtrum luxuria sit vitium capitale?

¶ Quinto, de filiabus eius.

ARTIC. I.

Vtrum materia luxuria sint solum concupiscentia, & delectationes venereæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod materia luxuria non solum sint concupiscentia, & delectationes venereæ. Dicit enim Augustinus in libro Confess. quod luxuria ad satietatem atque abundantiam se cupit vocari. Sed satietas pertinet ad cibos, & potus, abundantia autem ad diuitias. Ergo luxuria non est proprie circa concupiscentias, & voluptates venereas.

¶ 2. Præterea, Prou. 20. dicitur, Luxuriosa res est vinum. Sed vinum pertinet ad delectationem cibi, & potus. Ergo circa ea maximè videtur luxuria esse.

¶ 3. Præterea, Luxuria dicitur esse libidinosa voluptatis appetitus. Sed libidinosa voluptas non solum est in venereis, sed etiam in multis alijs. Ergo luxuria non

non est solum circa concupiscentias, & voluptates venereas.

SED contra est, quod dicitur in li. * de vera religione, de luxuriosis, Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Sed seminatio carnis fit per voluptates venereas. Ergo ad has pertinet luxuria.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Isidor. dicit in lib. * Etymol. luxuriosus aliquis dicitur quasi solutus in voluptates. Maximè autem voluptates venereæ animum hominis soluunt. Et idè circa voluptates venereas maximè luxuria consideratur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut temperantia principaliter quidem & propriè est circa delectationes tactus; dicitur autem ex consequenti, & per similitudinem quamdam in quibusdam alijs materijs: ita etiam luxuria principaliter quidem est in voluptatibus venereis, quæ maximè & præcipuè animum hominis resoluunt; secundariò autem dicitur in quibus-

cûque alijs ad excessum pertinentibus. Vnde ad Gal. 5. dicit gloss. * quod luxuria est quelibet superfluitas. Ad secundum dicendum, quod vinum dicitur res luxuriosa, vel secundum hunc modum quo in qualibet materia abundantia ad luxuriam refertur, vel in quantum superfluis vsus vini incentiuum voluptati venereæ præbet.

Ad tertium dicendum, quod libidinosa voluptas etiam in alijs materijs dicatur, tamen specialiter hoc nomen sibi vendicant venereæ delectationes, in quibus etiam specialiter libido dicitur, vt Aug. * dicit in 14. de Civ. Dei.

ARTIC. II.

Utum nullus actus venereus possit esse sine peccato?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod nullus actus venereus possit esse sine peccato. Nihil enim videtur impedire virtutem, nisi peccatum. Sed omnis actus venereus maximè impedit virtutem. Dicit enim Augustinus * in 1. Soliloquiorum, Nihil esse

Aug. li. de vera reli. c. 3. a me. t. 1. * li. 10. c. 11. incipit, luculentum, a me. illius

gl. interl. sup. illud impudicitia, luxuria, &c.

c. 15. 2. 15. 105.

738

Ma. 1. 15. c. 10. an. 1. me. 10. li. 2. c. 1. 10. 5.

esse sentio, quod magis ex arce deiciat animum virilem, quam blandimenta feminea corporumque ille contractus: Ergo nullus actus venereus videtur esse sine peccato.

¶ 2. Præterea, Vbicumque inuenitur aliquid superfluum per quod ab uno rationis receditur, hoc est vitiosum: quia virtus corrumpitur per superfluum, & diminutum, ut dicitur in 2. Ethic. Sed in quolibet actu venereo est superfluitas delectationis, quæ in tantum absorbet rationem, quod impossibile est aliquid intelligere in ipsa, ut *Philos. dicit in 7. Ethic. Et sicut ¶ Hier. dicit, in illo actu, spiritus prophetiz non tangebatur corda prophetarum. Ergo nullus actus venereus potest esse sine peccato.

¶ 3. Præterea, Causa potior est quam effectus. Sed peccatum originale in paruulis trahitur à concupiscentia, sine qua actus venereus esse non potest, ut patet per August. * in lib. de nuptiis, & concupiscentia.

Ergo nullus actus venereus potest esse sine peccato.

S. E. D. contra est, quod Aug. ¶ dicit in lib. de bono conjugali, Satis responsum est hæreticis, si tamen capiunt non esse peccatum, quod neque contra naturam committitur, neque contra morem, neque contra præceptum. Et loquitur de actu venereo, quo antiqui patres pluribus conjugibus utebantur. Ergo non

omnis actus venereus est peccatum.

RESPONDEO dicendum, quod peccatum in humanis actibus est quod est contra ordinem rationis. Habet autem hoc rationis ordo, ut quælibet conuenienter ordinetur in suum finem. Et ideo non est peccatum, si per rationem homo utatur rebus aliis ad finem, ad quem sunt modo, & ordine conuenienter, cum modo ille finis sit aliquid verè bonum. Sicut autem est verè bonum, quod conseruetur corporalis natura vnius individui: ita etiam est quoddam bonum excellens, quod conseruetur natura speciei humanæ. Sicut autem ad conseruationem vite vnius hominis ordinatur usus ciborum: ita etiam ad conser-

uationem totius humani generis vsus venereorum. Vnde August. * dicit in lib. de Bono conjugali, Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. Et ideo sicut vsus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo, & ordine, secundum quod competit salutem corporis: ita etiam & vsus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo & ordine, secundum quod est conueniens ad finem generationis humanæ.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquid potest impedire virtutem dupliciter. Vno modo, quantum ad communem statum virtutis. Et sic non impeditur virtus, nisi per peccatum. Alio modo, quantum ad perfectum virtutis statum: & sic potest impediri virtus per aliquid, quod non est peccatum, sed est minus bonum. Et hoc modo vsus femine deiecit animum non a virtute, sed ab arce, id est, perfectione virtutis. Vnde August. dicit * in li. de Bono conjugali, Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata circa ministerium sanctorum, sed melius quod Maria audiens verbum Dei: ita etiam bonum Susannæ in castitate conjugali laudamus, sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ Virginis, anteponimus.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra * dictum est, medium virtutis non attenditur secundum quantitatem, sed secundum quod conuenit rationi rectæ. Et ideo abundantia delectationis quæ est in actu venereo secundum rationem ordinato, non contrariatur medio virtutis. Et præterea ad virtutem non pertinet quantum sensus exterior delectetur, quod consequitur corporis dispositionem: sed quantum appetitus interior ad huiusmodi delectationes afficiatur. Nec ex hoc etiam, quod ratio non potest liberum actum rationis ad spiritualia consideranda simul cum illa delectatione habere, ostenditur quod actus ille sit virtuti contrarius. Non enim est virtuti contrarium, si rationis actus aliquando intermittatur pro aliquo quod secundum rationem fit. Alioquin quod aliquis se

ca. 16. in prin. 1. 6.

cap. 8. a me. 1. 6.

q. 152. a.

2. ad 2.

q. 1. 1. 9.

64. ar. 2.

fove.

sonno tradit, esset contra virtutem Hoc tamen quod concupiscentia, & delectatio venereorum non subiacet imperio, & moderationi rationis, provenit ex peccato primi peccati, in quantum scilicet ratio rebellem Deo meruit habere suam carnem rebellem, ut patet per Aug * 13 de civ. Dei.

c. 11. s. 5.
† hoc est.
in arg.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. † ibidem dicit, ex concupiscentia carnis, quæ regenerati non imputatur in peccatum, tamquam ex filia peccati proles nascitur originali obligata peccato. Unde non sequitur, quod actus ille sit peccatum, sed quod in illo actu sit aliquid penale à peccato primo derivatum.

ARTIC. III.

Verum luxuria, quæ est circa actus venereos, possit esse peccatum?

739

Su q. 35.

ar. 3. cor.

q. 9. 16.

ar. 3. cor.

et 4. d. 33

q. 1. a. 3.

q. 2. Et 3.

cōtra 121.

Et ma. 4.

15. ar. 2.

1. Co.

6. lec. 3.

* li. 1. c.

15. to. 2.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod luxuria quæ est circa actus venereos, non possit esse aliquid peccatum. Per actum enim venereum semen emittitur: quod est superfluum alimenti, ut patet per Philos * in lib. de Generatione animalium. Sed in emissione aliarum superfluitatum non attenditur aliquid peccatum. Ergo neque circa actus venereos potest esse aliquid peccatum.

¶ 2 Præterea, Quilibet potest licite uti et liber eo quod suum est. Sed in actu venereo homo non vitur nisi eo quod suum est, nisi fortè in adulterio, vel raptu. Ergo in usu venereo non potest esse peccatum: & ita luxuria non erit peccatum.

¶ 3 Præterea, Omne peccatum habet vitium oppositum. Sed luxuriæ nullum vitium videtur esse oppositum. Ergo luxuria non est peccatum.

SED contra est, quod causa est prior suo effectui. Sed vinum prohibetur propter luxuriam, secundum illud Apost. ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Ergo luxuria est prohibita.

¶ Præterea, Galatas 5. enumeratur inter opera carnis.

RE-

RESPONDEO dicendum, quod quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet ut circa illud rationis ordo seruetur. Vnde per consequens magis est vitiosum, si ordo rationis prætermittatur. Vfus autem venerorum, sicut * dictum est, est valde necessarius ad bonum commune: quod est conservatio humani generis. Et ideo circa hoc maxime attendi debet rationis ordo; & per consequens si quid circa hoc fiat præter id quod ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriae, ut ordinem & modum rationis excedat circa venerea. Et ideo absque dubio luxuria est peccatum.

in co. ap.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut * Philosophus in eodem libro dicit, Semen est superfluum quo indiget. Dicitur enim superfluum ex eo quod residuum est operationis virtutis nutritivæ: tamen indiget eo ad opus virtutis generativæ. Sed alie superfluitates humani corporis sunt, quibus non indiget. Et ideo non refert qualitercumque emittantur, salva decencia coniugii humani. Sed non est simile in seminis emissionem, quæ taliter debet fieri, ut conveniat fini ad quem eo indiget.

loc. cit. in arg.

Ad secundum dicendum, quod sicut Apostolus dicit 1. ad Corinth. 6. contra luxuriam loquens, Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Ex eo ergo quod aliquis inordinate suo corpore vitur per luxuriam, iniuriam facit Deo, qui est principalis Dominus corporis nostri. Vnde & * August. dicit in libro de Decem chordis, Deus qui sic gubernat servos suos ad utilitatem illorum, non ad suam, hoc iussit, hoc præcepit, ne per illecebras & illicitas voluptates corrumpat templum eius, quod esse cepisti.

c. 10. civ. med. 1. 9.

Ad tertium dicendum, quod oppositum luxuriæ non contingit in multis, eo quod homines magis sunt proni ad delectationes. Et tamen oppositum vitium contingit sub insensibilitate. Et accidit hoc vitium in



eo, qui in tantum dereffatur mulierum vsum, quod etiam vxori debitum non reddit.

ARTIC. IV.

Vtrum luxuria fit vitium capitale?

740
Mal 9.15
ar 4.
gl. interl.
super illud: Omnis fornicatio.
† Gre. 31.
c. 31.
* l. 2. c. 39
in prin.

AD quatuor sic proceditur. Videtur, quod luxuria non sit vitium capitale. Luxuria enim videtur idem esse immunditia, vt patet per * Gloss. ad Ephes. 5. Sed immunditia est filia gula, vt patet per † Gregor. 31. Moral. Ergo luxuria non est vitium capitale.

¶ 2 Præterea, * Isidorus dicit in libro de Summo bono, quod sicut per superbiam mentis itur in prohibitionem libidinis, ita per humilitatem mentis saluatur fit castitas carnis. Sed contra rationem capitalis vitii esse videtur, quod ex alio vitio oriatur. Ergo luxuria non est vitium capitale.

¶ 3 Præterea, Luxuria causatur ex desperatione secundum illud Ephes. 4. Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitia. Sed desperatio non est vitium capitale, quinimo ponitur filia acedia, vt supra * habitum est. Ergo multo minus luxuria est vitium capitale.

9. 35. a. 4
l. 31. c. 31

SED contra est, quod * Greg. 31. Moral. ponit luxuriam inter vitia capitalia.

9. 148. a.
5. et 1. 2.
9. 84. a. 3
¶ 4.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex * dicitur patet, vitium capitale est quod habet finem multum appetibilem, ita quod eius appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio tanquam ex principali oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ est delectatio venereorum, quæ est maxima. Vnde huiusmodi delectatio est maxime appetibilis secundum appetitum sensitium, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter corporalitatem huiusmodi concupiscentiæ. Vnde manifestum est quod luxuria est vitium capitale.

9. 148. a.
6.

Ad primum ergo dicendum, quod immunditia secundum quosdam, quæ ponitur filia gula, est quodam immunditia corporalis, vt supra * dictum est. Et sic obiectio non est ad propositum. Si vero accipiat

piatur pro immunditia luxuriæ, sic dicendum quod ex gula causatur materialiter, in quantum scilicet gula ministrat materiam corporalem luxuriæ: non autem secundum rationem causæ finalis, secundum quam potissimè attenditur origo aliorum vitiorum, ex vitijs capitalibus.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra * dictum est, cum de inani gloria ageretur, superbia ponitur communis mater omnium peccatorum. Et ideo etiam vitia capitalia ex superbia oriuntur.

Ad tertium dicendum, quod à delectationibus luxuriæ præcipuè aliqui abstinere propter spem futuræ gloriæ, quam desperatio subtrahit. Et ideo causat luxuriam sicut remouens prohibens, non sicut per se causa: quod requiri videtur ad vitia capitalia.

ARTIC. V.

Vtrum conuenienter dicantur esse filia luxuriæ, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus presentis seculi, & horror futuri?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter dicantur esse filia luxuriæ, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus presentis seculi, horror vel desperatio futuri. Quia cæcitas mentis, & inconsideratio, & præcipitatio, perinènt ad imprudentiã, quæ inuenitur in omni peccato, sicut & prudentia in omni virtute. Ergo non debent poni speciales filia luxuriæ.

¶ 2 Præterea, Constantia ponitur pars fortitudinis, vt supra * habitum est. Sed luxuria non opponitur fortitudini, sed temperantiæ. Ergo inconstantia non est filia luxuriæ.

¶ 3 Præterea, Amor sui vsque ad contemptum Dei, est principium omnis peccati, vt patet per * Augus. 14. c. ciuit. Dei. Non ergo debet poni filia luxuriæ.

¶ 4 Præterea, si quis ponit quatuor, scilicet turpilocquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia. Ergo prædicta abundantia colorum esse superflua.

S a SED

q. 132. a.
4.

741

sup. q. 53
art. 6. Et
ma. q. 8.
ar. 1. cor.
co 3. et q.
13. ar. 3.
cor. Et q.
15. a. 4.

q. 128. et
q. 137. a.
3.

l. 14. c. 24
in pri. et
c. vlt. 5.

lib 31. 6.
231.

SED contra est auctoritas * Gregor. 31. Moral.
RESPONDEO dicendum, quod quando inferiores potentie vehementer afficiuntur ad sua obiecta, consequens est quod superiores vires impediuntur, & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriz maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo obiecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis & delectationis. Et ideo consequens est, quod per luxuriam maxime superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem, simplex intelligentia, que apprehendit aliquem finem ut bonum. Et hic actus impeditur per luxuriam, secundum illud Dan. 13. Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum. Et quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus actus est consilium de his que sunt agenda propter finem. Et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriz. Unde Terentius * dicit in Eunucho, loquens de amore libidinoso, que res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. Et quantum ad hoc ponitur precipitatio que importat subtractionem consilij, ut supra * habitum est. Tertius actus est iudicium de agendis. Et hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Daniel. 13. de senibus luxuriosis, Auertentur sensum suum, ut non recordarentur iudiciorum iustorum. Et quantum ad hoc ponitur inconsideratio. Quartus autem actus est preceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum scilicet impeditur ex impetu concupiscentie, ne exequatur id quod decreuit esse faciendum. Unde * Terentius dicit in Eunucho, de quodam qui dicebat se esse inuicem ab amica. Hæc verba, vna facta lachrymosa retinet. Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus, quorum vnus est appetitus. Et quantum ad hoc ponitur amor sui, quantum scilicet ad delectationem quam inordinatam. Si vero accipitur

Senapi
ma est
parum
princ.
9.53. 4.3

Senapi
ma est

o
P
a
h
a
d
c
sp
pl
c
d
pu

d
c
p
ra
qu
ci
tu
cu
ta
ri
no
es
cu

ad
m
sp
nis

A
nir
cip
inc
ter
ab

oppositum ponitur odium Dei, in quantum scilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum quæ sunt ad finem. Et quantum ad hoc ponitur affectus præsentis seculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate. Et per oppositum ponitur desperatio futuri seculi: quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit eas.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut * Philosophus dicit in sexto Ethicorum, intemperantia maximè corrumpit prudentiam. Et ideo vitia opposita prudentiæ, maximè oriuntur ex luxuria, quæ est præcipua intemperantiæ species.

Ad secundum dicendum, quod constantia in arduis, & terribilibus ponitur pars fortitudinis. Sed constantiam habere in abstinendo à delectabilibus, pertinet ad continentiam, quæ ponitur pars temperantiæ, sicut supra * dictum est. Et ideo inconstantia, quæ ei opponitur, ponitur filia luxuriæ. Et tamen etiam prima inconstantia ex luxuria causatur, in quantum emollit cor hominis, & effœminatam reddit, secundum illud Osee 4. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Et Vegetius dicit in lib. de Re militari, quod minus mortem meruit, qui minus deliciarum norit in vita. Nec oportet, sicut sæpè * dictum est, quod filia vitij capitalis cum eo in materia conveniant.

Ad tertium dicendum, quod amor sui quantum ad quæcumque bona quæ sibi aliquis appetit, est commune principium peccatorum. Sed quantum ad hoc specialiter, quod aliquis appetit sibi delectabilia carnis, ponitur amor sui filia luxuriæ.

Ad quartum dicendum, quod illa quæ Isidorus ponit, sunt quidam inordinati actus exteriores, & præcipuè ad locutionem pertinentes, in qua est aliquid inordinatum quadrupliciter. Vno modo, propter materiam. Et sic ponuntur turpiloquia: quia enim ex abundantia cordis os loquitur, ut dicitur Matth. 12.

*Videtur
haberi l.
6. c. 9. Sed
clari ha-
betur l. 7.
c. 11.*

9. 143.

9 35. a 4

9 9. 36.

a 4 et 9.

148. a 6.

luxuriosi, quorum cor est turpibus concupiscentiis plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Secundo, ex parte causæ. Quia enim luxuria inconsiderationem & præcipitationem causat, consequens est quòd faciat prorumpere in verba leuiter & inconsideratè dicta, quæ dicuntur scurrilia. Tertio, quantum ad finem. Quia enim luxuriosus delectationem quaerit, verba sua ad delectationem ordinat, & sic prorumpit in verba ludicra. Quarto, quantum ad sententiam verborum, quam peruertit luxuria propter cæcitatem mentis quam causat: & sic prorumpit in stultiloquia, utpotè cum suis verbis præfert delectationes quas appetit, quibuscumque alijs rebus.

QVÆST. CLIV.

De luxuria partibus, in duodecim articulos diuisa.

- D**einde considerandum est de luxuriæ partibus. Et circa hoc quaeruntur duodecim.
- ¶ Primo, de diuisione partium luxuriæ.
 - ¶ Secundo, vtrum fornicatio simplex sit peccatum mortale?
 - ¶ Tertio, vtrum sic maximum peccatorum?
 - ¶ Quarto, vtrum in tactibus, & osculis & alijs huiusmodi illecebris consistat peccatum mortale?
 - ¶ Quinto, vtrum nocturna pollutio sit peccatum?
 - ¶ Sexto, de stupro.
 - ¶ Septimo, de raptu.
 - ¶ Octauo, de adulterio.
 - ¶ Nono, de incestu.
 - ¶ Decimo, de sacrilegio.
 - ¶ Vndecimo, de peccato contra naturam.
 - ¶ Duodecimo, de ordine grauitatis in prædictis speciebus.